



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm,  
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani  
Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt XCII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**

uimus, & sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Signum Domini Henrici IV. Rom. Imp. inuictissimi *Bruno* Cancellarius recognouit. Data XI. Calendas Decembris, anno Dominicæ Incarnationis M.C. XXIIIX. indictione XI. regnante Henrico IV. Rege Romanorum Imperatore quarto. Actum est apud Traiectum in Christo feliciter Amen.

## CAPVT XCII.

SANCTI GUMMARI COLLEGIVM  
*Liranum, & alia diœcesis Antuerpiensis.*

**P**Ræter Cathedrale Collegium Marianū Antuerpiense, sunt insuper in ea diœcesi Collegia quinque *Liranum, Bredanum, Bergen- se ad Zomam, Turnhautanum & Hochstratanum.*

Liranum collegium exordia sua debet *S. Gummaro*, qui gloriosa stirpe exortus est in Renensi prouincia, quæ Brabantia territorio comprehensa, nunc *Riensis* dicitur, vulgari sermone ad vernaculo, *het land van Rijen*. In ea natale solum habuit *Emblehem*, qui locus horæ spacio à Lira oppido distat. Erat lenis in sermone, constans in bono opere, humilitate submissus, pietate profusus, ieiunijs & vigilijs castigans carnem, eleemosynarum largitor, in aula *Pipini* Regis magnificè acceptus. Habuit *Grimuariam* vxorem sibi molestissimam, quam patientia & prudentia vincere laborauit. Cùm ad limina Apostolorum tenderet,

deret, diuina admonitione intra Netæ ambitum iubetur oratorium construere; vbi vitam in multa sanctitate finiuit. In messe siti deficientibus, baculo terram fodit, & erupit fons largissimæ aquæ, qui adhuc visitur in *Emblehem*. Alijsque multis miraculis claruit in vita, & post mortem. Quiescit Liræ, quod est opidum Brabantia, diœcesis Antuerpiensis, vbi collegiatam habet Ecclesiam, quæ in historia *Monasterium* nominatur. Ad hoc monasterium venerunt Normanni, euerfa Malina seu Machlinia, ignemque iniecerunt; Sed *S. Gummarus* è cœlis suis meritis contra eos pugnans, ignem extinxit.

Itaque collegium Liranum initia sua debet *Sancto Gummaro*, viro diuiti ac nobili quod his verbis disertè testatur Chronographus Cameracensis: *Non procul Machlinis est monasterium Canonicorum, quod ex proprijs prædijs vir Dei Gummarus illustris laicus, struxit, ibique sepultus diem resurrectionis expectat.*

Auxit foundationem postea, & Canonicos instituit *Carolus Magnus* Imperator.

SANCTAE MARIAE COLLEGIUM

*Bredanum, in Campania Brabantia.*

**B**REDA illustre est Brabantia opidum in Meditullio Campinæ seu Campaniæ, ferè sitū ad gentē Nassouia spectās. Illius opidi templū *B. Mariæ* sacrum non nisi parochiale olim

olim

olim fuit in quo postea quatuor Canonici à Parocho vicini pagi *Terheidem* nūcupati, sunt primitus collocati.

Auxit postea hanc foundationem N. ex familia Nassouiorum ad numerum XII. præbendarum. Quo fit vt hodieque earum collatio spectet ad Orsingiæ Principem, gentis Nassouia.

## CAPVT XCIII.

SANCTI IOANNIS COLLEGIUM  
*cathedrale Siluiducense seu Buscoducense in  
Brabantia.*

CAMPINIA siue Campania Brabantia<sup>s</sup> prouincia, ad septentrionem Mosæ flumine ac Holladiæ finibus clauditur. Siluaducis siue Boscum, primum regionis opidum veteribus *Orten* fuit. Exstat diploma quorundam priuilegiorum à Philippo Imperatore Henrico Duci datorum quæ hoc nomine appellant. *homines quoque, inquit, ciuitatum Ducis, videlicet Orten, quæ nunc silua dicitur, & Tyele, per totum Imperium in exactione telonij eandem habebunt iustitiam & libertatem, quam habuerunt temporibus patris & fratris nostri. Acta fuere hæc, anno 1204.* Ita Diuæus libro primo Rerū Brabantiarum capite nono.

Annus foundationis opidi Siluiducensis his verbis comprehenditur: *Godefridus Dux ex silua fecit opidum.*

Idem